

& ad Ethnicos etiam pertinet, ubi *presen-*
tem monstrat qualibet herba Deum. *Psal. 19.*
v. 1. Job. 12. v. 7. De hac loquitur *Paulus*
Rom. 1. Alia verò *specialis* vel *revelata,*
 quam *Deus in libro scripturae* sive in *verbo*
 suo de se suaq; voluntate nobis *manife-*
stavit. Et de hac loquitur *divus Paulus 1.*
Cor. 2. Unde patet, quod plures in hoc
 argumento & diversæ confundantur quæ-
 stiones. Latè hæc explicata invenies apud
Chemnitium parte 1. L. C. Doct. Schröterum
de Principio Theologico. Grauerum A. C.
p. 73. Jac. Martini Exercit. Metaphys p. 582.
Meisner. Præcog. Theol. Disput. 1. Theorem. 6.
Item de legibus p. 123. Encycl. Alsted. in Pnev-
maticâ p. 302. Matth. Sophist. p. 115.

Sic ad hoc πολυζητήσιμον: *Sunt nè traditio-*
nes impie & abolendæ, vel retinendæ in Ecclesia?
 distinctè respondeatur: *quasdam nempe*
traditiones esse impias & abolendas: quasdam
verò non esse impias, quæ ad bonum ordi-
nem, & honestæ disciplinæ conservatio-
nem faciunt, quæ sint observandæ 1. Cor.
11. 2. & 27. c. 15. 13. 2. Thess. 3. 6.

Item: